

**05
A
698**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-375255-p0002-0

DFG

DISPUTATIO *σωτηριακή.*

De
MERITIS BONO-
RUM OPERUM.

Opposita nūgis Roberti
Bellarmini

Ex lib. s. de Justificat. cap. 3.
&

In eodem curiōsiorum Collegio
ad examinandū propoſita

SUB PRÆSIDIO

Viri Reverendi & Clarissimi

Dn. JOHANNIS FÖRSTERI,
SS. Th. D. & Prof. Publici.

à
M. JOHANNE ECCIO

Suinfurtenſi Fr.

Ad 28. Aprilis horis locoque consuetis.

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Johannis Gormanni,
ANNO M. DC. X.



VIRIS
MAGNIFICIS, AMPLISSI-
mis, Consultissimisq;
DD. CONSULIBUS,
ET SENATORIBUS INCLYTÆ,
& imperialis Reipub. Suin-
furtensis, Patrib⁹ patriæ vi-
gilantissimis, Dominis, Mæ-
cenatibus, ac fautoribus suis
humilima animi subiectio-
ne colendis,


Hoc studiorum suorum specimen

exhibit

A. & Respondens.



05 A 698



PROBLEMA.

*Utrum opera bona iustorum sint me-
ritoria vitæ æternæ?*

I.



U O D regius Psaltes David generaliter de Verbo D E I dicit Psal. 119, 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis:* id nos specialius aliquantò usurpantes, ad legem referre non incommodè possumus.

II.

Hæc enim tanquam lucerna quedam dedit nos per semitam mandatorum divinorum, Ps. 119, 35. Hæc perfecta est convertens animam: fidelis est, sapientem efficiens parvulum: pura est, illuminans oculos. Psal. 19, 8. 9.

III.

Hæc lucidissimum est speculum, in quo Voluntas D E I, quæq; ipsi placent, directè ob oculos nobis ponuntur. Omnia enim opera, quæ bona sunt, Deoq; placent, necesse est legis esse opera.

IV.

Hæc norma est honorum operum, *ad quæ conditi sumus in Christo Iesu, ut in ijs ambulemus.* Eph. 2, 10. *& serviamus D E O, in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Luc. 1, 74.

V.

Quæ igitur de bonis operibus Ecclesiarum nostrarum ostenditur, ex serio & proprio Uisu legis omnis bonæ actionis rectricis, & regulæ, de quo aliquibus jam Disputationibus vidimus, abundè liquet.

VI.

In sumum ergo sua sponte abit calumnia illa, qua nostras

A 2

Ecclesias

Ecclesiæ onerare consueverunt præter Romanenses alios conciliabulum illud Tridentinum, quasi doctrina nostra de bonis operibus licentiam quidvis perpetrandi invehernet, & omnis generis sceleribus non fenestram tantum: sed bipatentes portas panderet.

VII.

Nos potius ex serio cordis affectu illud Apostoli profitemur: Ephes. 4, 10. DE *creatura sumus conditi in CHRISTO IESV ad bona opera, quæ preparavit DEVIS, ut in ihesu ambulemus. Non enim vocavit nos DEVIS ad immundiciem, sed ad sanctificationem.* 1. Thes. 4. 7.

VIII.

Verum alia subest causa, ob quam mendacis linguae gladium ita in nostras stringunt Ecclesiæ, quod nimis opera bona ex justificationis gratuitæ foro planè plenèq; removent, & exclu-

IX.

Quam ipsam controversiam cum Jesuitis aggressuri convenienti & apta methodo id facere conabimur.

- I. Terminos ὡς ἐν περιστατικᾳ explicaturi.
- II. Statum controversiae legitimè formaturi.
- III. Evangelicorum ὀρθοδοξιῶν confirmaturi.
- IV. Jesuitarum κακοδοξιῶν refutaturi.
- V. Ad eorundem argutias responsuri.

C A P U T I.

Προθεωρία terminorum.

X.

Disputatoris est cauti τὰ πολλάχως διελέγειν, πέρος τὸ γνωστὸν καὶ ἀυτὸ τὸ πεῖσμα, καὶ μὴ πέρος τούτοις τὸ συλλογισμόν τοῦ.

Arist, l. i. top. 18.

XI.

Duo autem in nostro Problemate continentur termini, qui accuratiorem explicationem merentur: alter est bona opera, alter meritorium esse vitæ æternæ.

XII.

Terminus bonorum operum, quamvis sordere quibusdam incipiat,

cipiat, est tamen ἡγεμόνη, & ipsius Spiritus sancti linguae vulgaris. Matth. 5, 16. Act. 9, 36. Eph. 2, 10. Tit. 2, 14. 3, 1. 2. Cor. 9, 8. Colos. 3, 10. 1. Tim. 2, 10. 2. Tim. 3, 16. 17. 2. Thes. 2, 17. alijsq; multis in locis.

XIII

Sunt autem bona opera, non quæ sunt ex præceptis & doctrinis hominum, quæ verbo eius speciem habent sapientiæ, cù eis adorantur, Col. 2, 22. 23. Frustra enim colitur DEVS mandatis hominum Esa. 29, 13. Matth. 15, 8. Ezech. 7, 5. Quin potius diabolus his colitur Deut. 32, 17. Psal. 106, 37. Amos 5, 25. Et DEVS ad iram provocatur Psal. 106, 39,

XIV.

Verū bona opera sunt, quæ DEVS nobis præcepit, ut faciamus, atq; in ijs ambulemus. Deut. 4, 2. 12, 32. 28, 13. 14. Num. 15, 39. 40. Ezech. 20, 19. Hæc enim est caritas DEI, ut mandata ejus custodiamus 1. Iohann. 5, 3.

XV.

Neque tamen hæc etiam, quamvis à Deo mandata, si fiant ab hypocritis absq; fide. Esa. 1, 11. Matth. 5, 20. Luc. 18, 11. Quicquid enim non fit ex fide, peccatum est. Rom. 14, 24.

XVI.

Vera ergo, Deoq; placentia opera sunt, quæ verbo DEI mandata Deut. 4, 2. 12, 32. ab homine renato condelectantur lege DEI secundum interiorem hominem. Rom. 7, 22. secundum præcepta in cordis non ex irisitia aut necessitate. 2. Cor. 9, 7. ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. 1. Tim. 1, 5. animoq; humili & contrito Psal. 51, 19. auxilio Spiritus Sancti Ezech. 36, 27. Gal. 5, 22. ad gloriam DEI Matth. 5, 16. 1. Cor. 10, 13. tanquam boni fructu ex bona arbore promanant. Matth. 7, 17. 12, 33.

XVII.

Hæc qualia sunt, prolixè declarat CHRISTUS Matth. 5, 6. 7. capp. quorum farraginem Paulus recenset Gal. 5, 22. ut sunt: Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.

XVIII.

Quæ alia etiam non minus jucunda in Scriptura sortiuntur nomina, ut fructus spiritus Gal. 5, 22. fructus justitiae, Pbi. 1, 1. Novitas Eph. 4, 32. Rom. 7, 6. Tit. 3, 7. Novitas spiritus Rom. 6, 4. novus homo. Col. 3, 10. Eph. 4, 24, 27. novum, mundum Ps. 51, 12. charitas ex puro corde. 1. Tim. 1, 5. abstinencia

abstinentia à peccatis 1. Thes. 4, 3. Conversatio sancta , honesta.
1. Tim. 4, 12. 1. Pet. 2, 12. 2. Pet. 3, 11. iustitia 1. Tim. 4, 8. fides 1. Tim.
2, 10. sanctificatio, 1. Thes. 4, 3. Rom. 6, 19. 2. Cor. 7, 1. & alia multa.

XIX.

*Meritorium esse salutis vel vita aeterna, idem est, quod verè pro-
mereri non tantum corporalia & spiritualia bona: verùm etiam
vitam aeternam, quæ tanquam merces ex debito justitiae divinæ
bonis renatorum operibus & meritis reddenda sit, non minus ac
aeterni cruciatus sceleribus impiorum debentur, ut Andradius
Concilij Trid. interpres loquitur.*

CAPUT II.

Status controversiæ.

XX.

Omissis autem omnibus aliis controversijs, quæ vel cum ipsi
interreligionis compilatoribus, vel Antinomis, vel alijs hæreti-
cis Ecclesiæ nostræ intercesserunt, controversiæ nostræ statum
Jesuitis, & horum antesignano cum primis Bellarmino opponi-
mus, quem hunc in modum in disputationis vestibulo forma-
vimus:

*Ytrum bona opera justorum sint meritoria
salutis aeternæ?*

XXI.

Negativam sententiam nos amplectimur: Romanenses contra
pro affirmativa tanquam pro aris & focis pugnant.

XXII.

Nos, quæ negativæ nostræ esse est, meritorium aliud nul-
lum agnoscimus, quam sufficientissimum illud λύτρον Matt. 20, 28.
obedientiam & aspersionem sanguinis JESU CHRISTI 1. Pet. 1, 2.
qui pretioso suo sanguine nos redemit, v. 19. perq; illum aeternam redens-
tionem nobis invenit. Hebr. 9, 12.

XXIII.

Docent enim nostræ Ecclesiæ (verba Augustanæ confes-
sionis sunt art. 4.) quòd homines non possint justificari coram
Deo proprijs viribus, meritis, aut operibus, sed gratis justifi-
cantur

cantur propter CHRISTUM per fidem, cùm credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter CHRISTUM, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro justitia coram ipso Rom. 3. & 4.

XXIV.

Pontificiorum affirmativam Jesuitarum illud os Bellarmi-
nus l. 5. de Iust. c. 5. his verbis satis dilucidè proponit.

Nos igitur probabimus id, quod habet communis Catholicorum omnium sententia, opera bona justorum verè ac propriè esse merita, & merita non cujuscunq; præmij, sed ipsius vita eterna contra sectarios.

XXV.

Jam ergo rectà argumenta, tùm ~~κατεργασιὰ~~, quibus ὁ θεός οξεῖς
nostra astruitur, tùm ~~ἀνατέλλεται~~, quibus Bellarmini ~~κανοδεξία~~ de-
struitur, subiiciemus.

CAPUT III.

Sententiae Evangelicorum confirmatio.

XXVI.

Orthodoxæ nostræ sententiæ confirmationem hoc κυρίῳ εὐλόγου invictè demonstramus:

Quicquid I. est hereditas. II. donum DEI, III. quod nobis gratis. IV.
non ex nostris meritis, V. sed ex gratia. VI. dilectione. VII. miseri-
cordia. VIII. proposito DEI. IX. propter meritum CHRISTI.
X. per fidem XI. eamq; solam. XII. absq; operibus. XIII. per impu-
tationem justitiae gratuitam. XIV. non ex lege. XV. sed ex Evan-
gelio confertur. XVI. Ut omnis gloriatio hominibus adimatur: il-
lud non est merces bonorum operum. Atqui salus & vita eterna est
talis: Ergo non est merces bonorum operum.

XXVII.

Antequam ad probationes tum consecutionis tum assump-
tionis accedamus, monendum videtur, ne quis suspicetur non
probare nos, quod in quaestione est, nos justificationem & salva-
tionem seu beatitudinem æternam cum sacra Scriptura pro-
positum accipere, siquidem ijsdem constituuntur, Rom. 3, & 4.
cap. Gal. 2. & 3. cap. Eph. 2, 8. 2. Tim. 1, 9. Tit. 3, 5. Act. 15, II.

Hinc

XXVIII.

Hinc eodem modo, quo justificationem, Apostolus quoque beatitudinem definit: *μακάριον* inquit, Rom. 4, 6. *scu beatitudo est imputatio justitiae absq; operibus.*

XXIX.

Non negamus tamen discriminem inter salvationem & beatitudinem, quam Scriptura vocat justificationem, & inter plenariam perfruptionem vitæ æternæ in cœlo. Nam &c in hoc mundo CHRISTUS est vita nostra & in eo vivans propter Gal. 2,20. Phil. 1, 21. Ioh. 16, 47. 53. 57. sed abscondita est illa vita cum CHRISTO in DEO patet cienda suo tempore Col. 3, 2. 3.

XXX.

Jam rectâ ad consecutionem singulorum syllogismi nostri principalis membrorum. 1. *membri consecutio manifesta est.* Quicquid enim hæreditatis jure quis obtinet, id nullis promeritus est laboribus.

XXXI.

2. *membri consecutio non minus manifesta est,* cùm D. Paulus Rom. 6. v. ult. ipse inter stipendium seu mercedem & donum distinguat.

XXXII.

3. quoq; clara est. Gratis enim opponitur, tum solutioni pretij, tum merito seu mercedi. Unde D. Lutherus emphasis hujus vocis expressurus alicubi reddidit ohne vnd wider Verdienst.

XXXIII.

4. *per se patet.* Merces enim & meritum relative se habent. Est enim merces compensatio meriti seu laboris secundum proportionem debitam. *Operanti merces ex debito datur.* Rom. 4,4.

XXXIV.

5. luce Paulina fulget. *Si enim ex gratia non ex operibus, alias gratia jam non est gratia.* Rom. 11, 6. Si verò non ex operibus non est merces.

XXXV.

6. evidens est. *Quicquid enim ex dilectione DEI nobis obtainit, gratuitum est, non meritum.* I. Ioh. 4, 10. *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus DEVM, sed quod ipse dilexit nos & misericorditer filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*

XXXVI.

7. sua luce lucet. Ubi enim operum atq; virtutum est aliqua dignitas,

dignitas, & excellentia, ibi locus non datur misericordiae. Misericordia enim neq; ex merito, neq; ex mercede provenit, quod ex parabola illa *Matth.* 18, 17. satis elucet. Item *Rom.* 9, 16.

XXXVII.

8. Apostolica autoritate nititur. *Rom.* 11, 5. *Reservatio secundum electionem gratia facta est.* Quod Esaui & Jacobi exemplo illustrat Apostolus *Rom.* 9, 11.

XXXVIII.

9. Prophetico fulgore radiat Meritum enim CHRISTI omne cuius error excludit *Esa.* 63, 3. *Tuncular calvari solus, & d. populus non erat mecum.* *Esa.* 45, 21. Deus justus & salvans non est proter me.

XXXIX.

10. Spiritus sancti stabilitur consensu. *Nam credenti non operari imputatur fides sua ad justitiam.* *Rom.* 4, 5.

XL.

11. omni rationi consentanea. Solitaria enim causa omnem sociam & adjvantem respuit.

XLI.

12. cuivis obvia. Absq; enim operibus & meritis non datur merces. Merces namq; est meriti merces.

XLII.

13. ex praecedentibus colligitur. *Merces enim, non gratuitò sed ex debito imputatur.* *Rom.* 4, 4.

XLIII.

14. & 15. membra consecutio à natura legis, & Evangelij peti potest. Lex enim operantibus mercedem pollicetur *Rom.* 2, 13: Evangelium verò credentibus monstrat justitiam CHRISTI nobis acquisitam.

XLIV.

16. Sacræ Scripturæ consensu, & exemplis fulcita. Ubi enim est aliqua meriti nostri ratio, ibi gloriationis materia. Si jam Abram ex operibus justificari est, habet de quo glorietur *Rom.* 4, 3; *Eph.* 2, 9. Exempla obvia sunt *Matt.* 20, 12. *Luc.* 15, 19.

XLV.

Et hrc satis dilucida consecutionis ratio: Jam rectè assumptionis per singula membra probationem subjiciamus.

XLVI.

B

i. Mem.

I. membrum. Vita æterna est hæreditas. *Psal. 16,6. Rom. 4,16. Gal. 3, 18. Col. 3,24.* Scientes vos à Domino accepi uros mercedem hæreditatis. *Matt. 25, 34.* Adeste benedicti, κληρονόμοι, hæreditario jure possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi. *Rom. 8,17. Tit. 3, 7. 1. Pet. 3,7. Iac. 2, 5.*

XLVII.

II. Est donum D E I. *Rom. 6, v. ult.* Donum D E I est vita æterna, in C H R I S T O I E S V Domino nostro. *Ephes. 2, 8.*

XLVIII.

III. Nobis gratis confertur. *Rom. 3, 24.* Iustificamur gratis per illius gratiam, per redemtionem, quæ est in C H R I S T O I E S V. *Apoc. 22, 17.*

XLIX.

IV. Non ex nostris meritis. *Ephes. 2,8.* Gratia estis salvati, per fidem, & hoc non ex vobis, D E I donum est. *Rom. 9,16.* Non est vobis, neq; currentis, sed miserentis D E I.

L.

V. Sed ex gratia. *Rom. 3, 24.* Iustificamur gratis gratia D E I. *Eph. 2, 7. 8. Act. 15, 11. Tit. 2, 11.* Illuxit gratia salutifera omnibus hominibus. *Tit. 3, 5-7. 2, Tim. 1, 9. Rom. 11, 6. Eph. 1, 6. 7. Heb. 4, 16.* Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.

LI.

VI. Dilectione Ioh. 3, 16. Sic D E V S dilexit mundum, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Eph. 2, 4.* D E V S qui dives est in Misericordia, propter multam charitatem qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta, convivis caritatem nos una cum C H R I S T O. *Tit. 3, 4.* Apparuit χειρῶν νοῦ φιλανθρωπία Salvatoris nostri D E I. *Ioh. 3, 16. 4, 9. 10. 16. Rom. 5, 8.*

LII.

VII. Misericordia. *Tit. 3, 4. 5.* Posquam apparuit bonitas & erga homines amor salvatoris nostri D E I, non ex operibus, quæ sunt in iustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit. *Rom. 11, v. 32.* Conclusit D E V S omnia sub incredulitate, ut omnium misercatur, *Eph. 2, 4. Rom. 9, 15. 16.*

VIII. Et

LIII.

VIII. Et, Proposito DEI 2. Tim. 1, 9. *Salvos nos fecit, & vocavit
incarnatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propo-
situm & gratiam, quae data est nobis per CHRISTVM IESVM ante
tempora eterna.*

LIV.

IX. Propter meritum CHRISTI. Rom. 3, 24. 25. *Iustificamur
gratis, DEI gratia per redemtionem, qua est in CHRISTO IESU. Quem
proposuit DEVS propitiationem per fidem interveniente ipsius sanguine
Gal. 2, 20. Vivo non amplius ego, sed vivit in me CHRISTVS, & vi-
ta, quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filij DEI, qui dilexit me &
& tradidit semetipsum pro me. Non enim ullum aliud est nomen sub caelo,
quo salvati possumus, quam nomen IESU. Act. 4, 12. 10, 43. 13, 38. 15, 11.
Matth. 20, 28. Rom. 4, 28. cap. 5. Gal. 1, 4. 3, 13. 4, 4. Eph. 1, 7. 2, 13. 1. Tim.
2, 6. 1. Pet. 2, 19. Hab. 9, 12.*

LV.

X. Per fidem. Rom. 10, 9. *si confessus fueris ore tuo Dominum IESUM, & credideris in corde tuo, quod DEVs illum excitarit a mortuis,
salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem.*
*Roman. 3, 22. Iustitia DEI per fidem IESU CHRISTI in omnes
& super omnes qui credunt. Hab. 2, 4. Rom. 2, 17. 3, 28. 4, 35. & 5, 2, 16.
& seq. II, 20.*

LVI.

XI. Et quidē solam, Marc. 5, 3, 6. *Ne metue solummodo crede. Luc.
8, 50. Tantum crede, & servabitur. Gal. 2, 16. Scientes, quod non iustifi-
catur, iuram, nisi per fidem Rom. 3, 21. 28. 4, 5. 6, 16. Gal. 3, 12. Deter-
minat autem hæc particula non subjectum sed prædicatum e-
nunciationis. Facessat igitur calumnia de fide solitaria.*

LVII.

XII. Absq; operibus Rom. 3, 20. *Ex operibus non iustificabitis
ulla caro in conspectu ejus. v. 28. Colligimus igitur fidem iustificans hominem
absq; operibus legis. Eph. 2, 9. Gratia salutis estis non ex operibus,
ne quis glorie. ur. Rom. 4, 5. Gal. 2, 16. 2. Tim. 1, 9. Tit. 3, 4. Phil. 3, 8. 9.*

LVIII.

XIII. Per imputationem justitiae gratuitam. Rom. n. 4, 6. *David explicat beatificationem hominis, cui DEVs imputat justitiam
absq; operibus, Item v. 3, 10. 12. 2. Corinth. 5, 21. Eum, qui non novit pec-*

eatum pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur iustitia DEI per illum.
Phil. 3, 9. Ut reperiatur in illo non habens meam iustitiam ex lege, sed eam,
qua per fidem est CHRISTI, quæ ex DEO est, iustitiam in fide.
Gal. 3, 6.

LIX.

XIV. Non ex lege. Rom. 3, 20. Ex operibus legis nulla caro
iustificabitur in conspectu ejus. Per legem enim agnitus peccati. Nunc vero
absq; lege iustitia DEI patefacta est. Rom. 4, 14. 15. Si igitur qui ex lege sunt
heredes sunt, inanis facta est fides, irrita facta est promissio. Nam lex
iram operatur Gal. 1, 21. Si per legem est iustitia, CHRISTVS frustra est
mortuus. Gal. 3, 10. 11. 2. 18. 21. Si data fuisset lex, quæ posset vivificare, vere
ex lege esset iustitia.

LX.

XV. Sed ex Evangelio. Gal. 3, 18. Si ex lege hereditas, non iam ex
promissione. Atqui Abraham per promissionem gratificatus est DEVS.
Item v. 8, 21. 22. Rom. 4, 16. Propterea ex fide est hereditas, ut sit per gra-
tiam, ut firma sit promissio.

LXI.

XVI. Ut omnis gloriatio hominibus adimatur. Eph. 2, 19.
Gratia salutis estis non ex vobis, DEI donum est, non ex operibus, ne quis
glorietur. Rom. 3, 27. Ubi gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? ope-
rum? Non, sed per legem fidei.

LXII.

Ex hisce jam invictè colligimus: Ergo vita aeterna non est mer-
ces bonorum operum.

LXIII.

Et hæc est ex intimis Theologiæ principiis petita confirma-
tio ὁρθοστοιας nostræ, quæ DEI beneficio in nostris sonat Ecclesijs.
Jam ad ἀρρενοστοιας confutationem.

CAPUT IV.

Confutatio opinionis Jesuitarum.

LXIV.

Palpabilem Pontificiorum, quem errant circa hoc doctri-
nae caput, errorem, hoc demonstramus syllogismo:

Quod.

Quodcumq; dogma I. est $\ddot{\alpha}\gamma\epsilon\alpha\phi\sigma$. II. Imò sacra Scriptura manifestè contrarium. III. decisivæ concilij Hierosolymitanî è diametro oppositum. IV. exemplis & praxi Scripturæ repugnans. V. gratiæ divina inimicum. VI. in meritum C H R I S T I contumeliosum. VII. & deniq; fidei planè adversum illud est absurdum & fanaticum. Tale est Jesuitarum dogma: bona opera esse meritoria vite æterna. Ergo est absurdum & fanaticum.

L X V .

Majoris connexio propriis suis radiis coruscat. Statim ergo ad minoris per singula membra probationem accedimus.

L X VI .

I. Dogma hoc Jesitarum est $\ddot{\alpha}\gamma\epsilon\alpha\phi\sigma$. Nam ne unicum quidem hactenus potuerunt proferre testimonium, quod ipsorum patrocinetur sententia, de quo in sequenti capite videbimus.

L X V I I .

II. Sacræ Scripturæ manifestè contrarium Rom. 3, 20. Ex operibus legis non justificabitur ulla caro. Item v. 28. Rom. 4, 5. 6. Gal. 2, 16. 3, 10, 11. Ephes. 2, 9. Gratia salvari estis non ex operibus, ne quis glorietur. 2. Tim. 1, 9.

L X V I I I .

III. Decisivæ concilij Hierosolymitanî è diametro oppositum Act. 15, 10. 11. Quid tentatis D E V M , ut imponatur jugum super cervices discipolorum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus, sed per gratiam, Domini I E S U C H R I S T I credimus nos salvatos esse, quemadmodum & illi.

L X I X .

IV. Exemplis & praxi Scripturæ repugnans. ut, Abrahami Gen. 15, 16. Rom. 4, 3, 4. Credidit Abraham D E O , & imputatum est illi ad justitiam. At qui ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito. Davidis, Rom. 4, 6. Sicut etiam David explicat beatificationem hominis, cui D E V S imputat justitiam absq; operibus. Danielis, Dan. 9, 18. Non in justitijs nostris prosternimus deprecationes nostras, in conspectu tuo, sed in miserationib; tuis multis. Pauli, I. Cor. 4, 4. Nihil mihi conscient sum, sed in loc non sum justificatus. Phil. 3, 4. 5. 6. 7. 8. 9. Per gratiam autem C H R I S T I credimus nos salvatos esse quemadmodum & illi. Act. 15, 11.

LXX.

V. Gratiæ divinæ inimicum. Rom. ii, 6. Si enim per gratiam, non ex operibus, alias gratia jam non est gratia. Sin ex operibus jam non est gratia, alias opus jam non est opus. Gratia autem salutis est per fidem. Ergo non ex vobis, Deo donum est, non ex operibus ne quis gloriatur. Eph. 2, 8, 9.

LXXI.

VI. In meritum CHRISTI contumeliosum. Quicquid enim meritis nostris tribuitur, id merito CHRISTI detrahitur. Si enim ex lege est justitia, frustra CHRISTVS mortuus est. Gal. 2, 21.

LXXII.

VII. fidei planè adversum. E diametro enim opponuntur fides & opera, credere & operari, Gal. 2, 21. Scientes hominem non justificari ex operibus legis, nisi per fidem IESU CHRISTI: & nos in CHRISTVM IESVM credidimus, ut justificaremur ex fide CHRISTI, & non ex operibus legis. Gal. 3, 5. 9. 10. 11. 12. Rom. 3, 21. 22. 4, 4. 5. Non operantib[us] credenti in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.

LXXIII.

Hinc ergo irrefragabiliter inferimus: Ergo dogma hoc Pontificium: bona opera iustorum esse verè & propriè meritoria vita aeterna, absurdum est & fanaticum.

LXXIV.

Subjiciamus huic alium adhuc non minus firmum:

Quacunq[ue] opera 1. disertè à foro justificationis excluduntur. II. è diametro gratia & fidei opponuntur, III. alias creatori debentur. IV. sunt imperfecta. V. varijs navis contaminata VI. ut subinde peccatorum sit perenda venia. VII. & justificatos demum consequuntur: ea non possunt esse meritoria vite & salutis aeternæ.

Talia sunt omnia bona opera iustorum. Ergo non sunt meritoria vita & salutis aeternæ.

LXXV.

Majoris connexio certissimis nititur fundamentis, quæ quivis sunt obvia, pleraq[ue] etiam supratacta. Recta ergo ad minoris confirmationem rendimus.

LXXVI.

I. Opera

I. Operā bona justorum à foro' justificationis excluduntur?

Tit. 3, 5. Non ex operibus iustitiae, quæ faciebamus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit. Rom. 3, 20. 28. Concludimus fidei justificari hominem absq; operibus legis. Rom. 4, 6. Gal. 2, 16. 3, 10. 11. 21. Eph. 2, 8. 9. 2. Tim. 1, 9. Pbil. 3, 8. 9.

LXXVII.

II. Ediametro gratiæ & fidei opponuntur. Rom. 11, 6. Si ex operibus, non ex gratia, alias opus jam non est opus. Rom. 4, 5. Non operant sed credenti imputatur fides sua ad justitiam. Vide thesin 69. & 71.

LXXVIII.

III. Alias creatori debentur. Ipsius enim creatura sumus, creati in CHRISTO IESU ad bona opera, quæ præparavit DEVS, ut in ijs ambulemus. Ephes. 2, 10. Debitores ergo sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Roman. 8, 12. Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Luc. 17, 10.

LXXIX.

IV. Multis nominibus sunt imperfæcta Rom. 7, 14. Lex spiritu-alis est: at ego carnalis, venundatus sub peccatum. v. 18. Velle adjaceat mihi, at ut faciam bonum non reperio.

LXXX.

V. Variis nævis contaminata. Esa. 64, 6. Universæ iustitiae nostra quasi pannus menstruatae. Rom. 7, 15. Non quod volo hoc facio, sed quod odi hoc facio. v. 19. Non facio bonum, quod volo, sed malum quod nolo, hoc ago. v. 20. 21. 23. Phil. 3, 6. 7. 8. Iuxta justitiam quæ est in tege factus sum irreprochensibilis. Sed quæ mihi erant lucra, arbitratus sum propter CHRISTVM damnna esse. Quemadmodum etiam arbitror omnia datum esse propter excellentiam cognitionis CHRISTI IESU Domini mei, propter quem omnia pro damnis duco, habeoq; pro rejectamentis, ut CHRISTVM lucris faciam. 1. Ioh. 1, 8.

LXXXI.

VI. Ut subinde sit petenda peccatorum venia. Psal. 32, 6. Pro hac (remissione peccatorum) orabit ad te omnis sanctus in tempore operi uno. Psal. 143, 2. Ne venias in judicium cum servotuo, qui non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens. Matth. 6, 12. Luc. 11, 4. Dismisce nobis debita nostra.

VII. Justis.

LXXXII.

VII. Justificatos demum consequantur. Rom. 7, 4. Mortificatis sumus legi in corpore CHRISTI, ut essemus alterius, ejus, qui ex mortuis suscitatus est, ut fructum feramus DEO. Hinc appellantur fructus spiritus Gal. 5, 22. fructus justitiae. Phil. 1, 11. Quæ autem à justificatis jam promanant, non possunt esse causa justificationis.

LXXXIII.

Hinc ergo per firmissimam iterum consequentiam promtum est colligere: Ergo bona justorum opera non sunt vere & propriè meritoria vitæ & salutis æternæ. Et hæc de capite IV.

CAPUT V.

Responsiones ad exceptiones Bellarmini.

LXXXIV.

Exceptiones ex sacra Scriptura aliò detorta desumptas Bellarminus ipse ad septem generalia capita revocat, ex quibus sepiem desumit argumenta, quæ singula videbimus.

LXXXV.

I. Argumentum dicit ex ijs Scripturæ locis, ubi vita æterna nominatur merces, ut Matt. 5, 12. Matt. 20, 8. Si enim ipsa est merces, bona opera quibus illa redditur, sine dubitatione sunt merita, inquit idem c. 3. lib. 5. de Iustif.

LXXXVI.

II. sumere se dicit ab ijs locis, in quibus habetur præmium cœleste dari hominibus secundum mensuram operum & laboris, ut Luc. 6, 38. Mat. b. 16, 23. Rom. 2, 5. Gal. 6, 8. 1 Cor. 3, 8. Apoc. ult. v. II. Hinc enim colligit in præmio illo conferendo non haberi rationem solius promissionis, & indulgentiæ DEI, sed etiam dignitatis & efficaciarum operum.

LXXXVII.

III. petere se ait ex ijs locis, quæ ita vitam æternam reddi testantur bonis operibus, ut ipsam rationem cur detur vita æterna, in operib. ponant. Idq; ex particulis, illis, Enim, Quia, Ideo, quas semper causales esse autumat, probare nütitur, ut Matth. 25, 21. 34. Apoc. 7, 14.

IV. Depro.

LXXXIX.

IV. depromit ab ijs testimoijis, ubi dici putat præmium bonis operibus ex justitia reddendum esse. 2. Thess. 1, 4. 6. 2. Tim. 4, 7. Heb. 6, 10. Iac. 1, 12. Apoc. 2, 10.

LXXXIX.

V. mutuatur ex illis scripturæ testimoijis, quæ docere somniat vitam æternam promissam esse bonis operibus, qualia sunt Matth. 19, 17, 29. 1. Tim. 4, 8. Iac. 1, 12.

XC.

VI. eruere conatur ex illis locis, in quibus fit mentio dignitatis, ut Luc. 10, 7. 2. Thes. 1, 5. Sap. 3, 5. Luc. 20, 35. Apoc. 3, 4. Nam (quæ ipsius hypothesis est) dignum esse præmio & mereri præmium idem sunt.

XCI.

VII. extorquet ex illis locis, ubi dicitur Deus justus judex, & non acceptor personarum. Rom. 2, 11. Gal. 2, 6. 1. Pet. 1, 17 Act. 10, 34.

XCII.

Ad primum argumentum respondeo adhibito distinctionis temperamento inter mercedem; cuius significatio 1. est stricta & propria notans compensationem laboris secundum proportionem debitam, & adæquatam, ut cum operario pro labore datur sua merces.

XCIII.

2. est latior & modificata sumta pro compensatione seu retributione gratuita profecta à misericordia & promissione Dei. Et tum promiscue usurpantur merces, gratia, donum. Psal. 127, 3. Ecce hereditas Domini filij merces fructus ventris. Matth. 6, 1. dicitur merces, quod Luc. 6, 32. dicitur gratia.

XCV.

Dictum illud Matth. 5, 12. Merces vestra copiosa erit in cœlis, 1. de mercede propriè dicta intelligi nequit (Inter laborem enim nostrum & vitam æternam nulla est proportio Rom. 8, 18.) sed de gratia & dono. Nam vita æterna est donum Dei Rom. 6, v. ult. *Gratia estis salvati per fidem non ex ipsis, Dei donum est. Eph. 2, 8.*

C

2. Non

XCV.

2. Non dicitur merces vestra erit cœlum, sed in cœlis, quod non de ipsa vita æterna, sed de differentibus gradibus gloriæ accipitur. *1. Cor. 15, 48.*

XCVI.

Ad alterum *Matth. 20, 5.* Voca operarios & redde illis mercédem, respondemus i. Per denarium hic vitam æternam intelligi non posse, siquidem denarius etiam obmurmurantibus datum est. Alijs innui hic videtur meritum *CHRISTI*, quod eit sufficiens illud λύτρον quo nos, non verò argento vel auro, redempti sumus i. *Pet. 1, 19.*

XCVII.

2. Neq; intelligitur hic merces propriè ita dicta, seu compensatio labori debita, sed gratuita, siquidem æqualiter datur operantibus & non operantibus. Laborat ergo i. hoc argumentum fallacia ὀμωνυμίας.

XCVIII.

Quoad alterum argumentum i. nego inde concludi, vitam æternam dari secundùm mensuram & proportionem operum & laboris. *Rom. 8, 18.* Alias etiam, quemadmodum labores, qui exantlantur, aliis sunt difficiles, aliis exigui: ita & vita æterna alteri magis alteri minus tribuenda esset.

XCIX.

2. Non dicitur *DEUS* daturus unicuique propter opera, sed secundùm opera sua, quæ perpetua loquendi consuetudo scripturæ est, quæ nunquā dicit propter opera, sed semper secundùm opera.

C.

3. Non innuitur hic causa ob quam promeritus quis est vitam æternam. Nam *salvarit nos DEVS & vocavit non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum & gratiam, que data est nobis per CHRISTVM, ante tempora eterna.* *2. Tim. 1, 9.*

CI.

4. Sed intelligitur *testimonia & signum infallibile fidei salvificæ.* Reddet enim *CHRISTUS* secundùm opera, i. secundùm testimonium bonorum operum, prout ea de alicujus fide, vel infidelitate prohibebunt testimonium.

5. Negs

C II.

5. Neq; procedit illatio Bellarmini: Per mala opera ira contrahitur. E. per bona opera reconciliatio acquiritur. Nam vel unicum peccatum meretur mortem. Qui enim non in omnibus manferit, quæ scripta sunt, execrabilis est Gal. 3, 10. Et qui in uno offendit, omnia rem factus est Iac. 2, 10: Non autem unum bonum opus, neq; multa implent legem, sed præstanta sunt omnia, quæ scripta sunt in lege, ut vivamus in eis. Gal. 3, 12.

C III.

Dictum illud 1. Cor. 3, 8: *Vnusquig, accipiet mercedem secundam laborem suum.* i. non loquitur de mercede debita & æquivalente, sed de gratuita, quam promisit C H R I S T U S omnibus fidelibus 2. merces illa non est vita æterna, sed distincti gradus gloriæ in vita æterna, quemadmodum Daniel de hac mercede Doctorum Ecclesiæ dicit 1. 2, 2. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamentii &c.*

C IV.

Tertium Jesuitæ argumentum ex vocum illarum (enim quia, ideo) significatione petitum admodum lubricum est. Falsissimum enim est voces illas semper esse causales.

C V.

Particulæ p. 3^o, ut & Latinæ, Enim, Quia, multas habent significaciones, quarum duas instituto nostro inservientes delibamus. i. significant τιμωρίας, idem quod propter, vel germanicum daruinb. Ubi nihil confirmandum proponitur, sed tantum causa affertur ejus rei, quæ jam est certa.

C VI.

2. significant τυλογίας, idem quod germanicum denn. Ubi non indicant causam rei, sed præcedentis assertionis probationem annexunt. De priore significatione nemini est dubium, de posteriori videbimus.

C VII.

1. Joh. 3, 14. evidens est exemplum. *Scimus, inquit, quod transi- vimus ex morte in vitam (unde vero hoc scimus?) quia diligimus fra- tres.* Est demonstratio 3^o.

C 3

Luce

CIX.

Lu:æ 7,47. probaturus C H R I S T U S mulierem illam, quæ peccatrix fuerat, justiorem esse Simone, quam ipse condemnabat, dicit: ἀγαπώ σε, Affirmo tibi: Remissa sunt ei multa peccata (Unde vero mi C H R I S T E hoc affirmas?) quia dilexit multum. Cui autem minus remittitur, minus diligit, non qui minus diligit, ei minus remittitur.

CIX.

Quin etiam ex familiari usu sermonis exempla depromere facile est. Cicero factus est doctus. Quare? quia diligenter studuit. Est Quia causale. Cicero est imperfectus. Unde hoc scis? quia caput ejus Romam est allatum. Est Quia rationale.

CX.

Et talem quoque significationem habet particula *Enim* in dicto hoc quod citat Bellar. *Mattb. 25,34. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi. Esurivi enim & cibastis me. Ubi bona fidelium opera allegantur, non tanquam causa salutis æternæ, sed ut testes fidei illorum, ex quibus perspicuum evadet, fuisse fidem illorum vivam & per charitatem cœsorum patrum.*

CXI.

Probamus hoc i. ex textu, ubi tria argumenta in contrarium nobis suppeditantur. 1. Nominat C H R I S T U S justos *benedictos patris sui*. Benedixit autem D E V S nos in omni benedictione spirituali in cœlis non propter opera nostra, sed in C H R I S T O Ephes. 1, 3. 2. dicit κηραυνούσι. i. hereditario jure possideat, non accipite mercedem. 3. dicit regnum illos non promeritos esse, sed *paratum fuisse ab exordio mundi*.

CXII.

2. Ex alijs scripturæ dictis, quæ contrarium testantur. 2. *Tim. 1,9. Salvavit nos & vocavit vocatione sancta non secundum Opera nostra, sed secundum propositum & gratiam. Tit. 3,5.*

CXIII.

Ad quarti argumenti dicta generaliter respondemus, justum esse, ut D E V S afflictū retribuat requiem. 1. non secundum absolute suam justitiam, secundum quam nemini quicquam debet Rom. 11,34. Alias non justificaret impium. Rom. 4,5. sed justum.

2. Sed

CXIV.

2. Sed secundum justitiam illam in CHRISTI misericordi erga nos affectu tinctam & temperatam. Deus enim piorum suorum passiones pensat ex gratia non ex debito. Illae enim non sunt condignæ gloriae in nobis revelanda Rom. 8,18.

CXV.

3. Justum etiam est secundum promissionem & veritatem DEI. Justitia enim in scriptura interdum pro veritate sumitur. Retributio ergo illa in verbo DEI ex gratia promissa, jam vigore divinæ hujus promissionis cadit in debitum, ita ut post factam promissionem justum sit DEO servare quæ promisit.

CXVI.

Hinc Apostolus Rom. 3,25. 26. Iustitiam DEI declarari affirmat per remissionem peccatorum, ut sit ipse justus justificans eum, qui est ex fide IESU.

CXVII.

Ezivixit illud D. Pauli (quod pro se allegat Bellarminus) 2. Tim. 4,8. Quod reliquum est reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex; non agit de causis justificationis & salvationis æternæ, sed de præmijs bonorum operum, quæ Dominus propter solum CHRISTI meritum fide apprehensum justificatis in vita æterna reddit.

CXIX.

Omne a. momentum situm est in tribus isti terminis. 1. corona iustitiae. 2. Iustus judex. 3. reddet, quibus singulis evolutis sensus erit clarior.

CXIX.

Iustitiae corona non intelligitur corona nostrâ iustitiâ acquisita. Repugnat enim hoc Paulo, qui vitam æternam donum vocat Rom. 8, v. ult. qui suam iustitiam pro damnis & rejectamentis reputat. Phil. 3,8. quiq; dicit, se quidem nihil sibi consciū esse, sed in hoc non iustificatum i. Cor. 4, 4. Imo pugnat cum tota disputatione Paulina Rom. 3, & 4. Gal. 2, & 3.

CXX.

Verum innuitur corona iustitiae CHRISTI per fidem nobis imputatę, quæ sic dicitur, tū quia eā nobis acquisivit i. Cor. 1, 30. 2. Cor. 5,

C 3. vers.

v. ult. tum quia, quod gratis promisit ex sua justitia præstat. Hebr.
6, 10. Corona autem dicitur, quia datur certanti & vincenii. 2. Tim. 2,
5. qui scilicet fide contra diabolum, ejusq; organa decertant.

CXXI.

Justus Judex dicitur non legaliter, sed Evangelicè, non quia
pios judicat secundum rigorem justitiæ suæ, quæ legis est, juxta
quam nulla caro potest salvare Psal. 143, 2. Rom. 3, 20 Gal. 2, 16. Sed quia
justificat eum, qui est ex fide I E S V Rom. 3, 16. ex mera gratia Rom. 3,
21, 28. Deinde potest etiam exponi pro fideli & veraci.

CXXII.

Reddet autem non propter merita Pauli, quæ nulla agnoscit
1. Cor. 4, 4. 1. Tim. 1, 6. Phil. 3, 8. Sed propter suam gratuitam pro-
missionem. Debitorum enim fidelem se Dominus nobis fecit
non aliquid à nobis accipiendo, sed omnia nobis promittendo.

CXXIII.

Explicationem hanc veram esse patet ex loco illo Apoc. 4, 10.
v. ubi viginti quatuor seniores abjiciunt coronas suas ante thronum, di-
centes: Dignus es Domine qui accipias gloriam &c. hoc ipso facto ostendentes,
se non suo' merito, sed gratia agni, hoc est, CHRISTI
accipere suas coronas.

CXXIV.

In quarti argumenti dictis confundit Bellarminus promis-
siones legales & Evangelicas. Illæ docent vitam æternam pro-
missam esse operibus, hæ vero ex fide imputari nobis justitiam
CHRISTI monstrant.

CXXV.

Primum dictum Matth. 19, 17. Si quis vitam ingredi, serva man-
data, i. legale est. Nihil ergo promittit nisi sub observatione man-
datorum perfecta, quæ impossibilis est, quippe infirmata per car-
nem. Rom. 8, 18. Gal. 3, 21. 22. 2. Debuit autem CHRISTUS Phari-
sæum superbum ad legem non ad Evangelium remittere, ut inde
naturalem suam imbecillitatem agnosceret, remediumq; salu-
tare quereret. Lex enim est paedagogus ad CHRISTVM Rom. 3, 20.
3. Quærerit Phariseus de justitia legali, quid scilicet faciendum
ipsi, non quid credendum sit, ut vitam æternam ingredi possit.
Proinde recte ei ex lege respondeatur,

Secun-

CXXVI.

Secundum Matth. 19, 29. *Quicunq; reliquerit domum, patrem & centuplum accipiet, & vitam æternam hereditabit.* 1. promittit beneficia spiritualia pro bonis amissis centuplo majora. 2. non in ercedis sed consolationis & recreationis loco vitæ æternæ possessionem ipsi adjudicat, quod ipse innuit, dum ait *εληφασμόν*.

CXXVII.

Ad tertium 1. Tim. 4, 8. *Pietas promissionem habet hujus & future vite*, respondeo distinguendo, tum inter pietatē, cuius distinctae sunt partes, potissima quidem fides, reliquæ vero virtutes Christianæ: tum inter promissiones, quæ vel sunt corporales, vel spirituales, eaq; vel ipsa beatitudo, vel distincti beatitudinis gradus. Cuilibet autem partis sua assignanda est promissio.

CXXVIII.

In quarto illo Iac. 1, 12. *Acipiet coronam vite, quam promisit DEUS diligentibus se*, non describitur causa nostræ justificationis, vel medium applicationis, vel forma, in qua consistit justificatio coram DEO: sed qualitas & ingenium eorum, qui sunt justificati.

CXXIX.

Ad sextum argumentum respondeo, non negari sacram Scripturam justos pronunciare dignos regno D E I. Digni autem sunt non dignitate propria, sed C H R I S T I dignitate & merito. Etenim cùm essemus cœlesti beatitudine propter peccata prorsus indigni, Deus qui dives est in misericordia sua Eph. 2, 4. in C H R I S T O I E S V dignos nos fecit & idoneos ad participationem sortis sanctorum in lamine. Col. 1, 12.

CXXX.

In ultimo arguimiento nulla est consequentia. Deus est justus, nec acceptor personarum. Absurdus es Bellarmine: si ita infers: Ergo opera bona justorum sunt meritoria Vitæ æternæ. Nec ita ritè infertur. Justus judex non dat præmium sine meritis. Ergo Deus in retributione præmicrum respicit hominum merita. Iterum absurdus es Bellarmine! Respicit enim potius meritum illud sufficientissimum C H R I S T I, qui dedit animam suam *λύτρον pro multis*. Matth. 20, 28.

Conclu-

C XXXI.

Concludimus tandem. Ergo bona justorum opera non sunt meritoria vita eterna.

Tibi Domine justitia, nobis autem confusio facie. Dan. 9,7.

F I N I S.



Carth

05 A 638

ULB Halle
003 762 67X

3



VDH



Farbkkarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color
Magenta		
Red		
Yellow		
Green		
Cyan		
Blue		

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

